

quis desideraret in ecclesia militare aut proficere, ut esset lector annos XXX, exorcista dies XXX, acolytus annos V, subdiaconus annos V, custos martyrum annos V, diaconus annos VII, presbiter annos III. Veniunt haec ex constituto Silvestri 1, 11, ubi sic traditur: *ut nullus . . . usque ad episcopatum sublevaretur, nisi prius fuisset lector annis XXX, deinde uno die exorcista, et postea . . . faceret in ordine . . . acolyti annos X, ut . . . in subdiaconatu esset annos V, deinde . . . diaconus . . . ut serviret annos VII . . . et sic ad ordinem presbyteri accederet et faceret in eodem ordine annos III.* Abest igitur a constituto *custos martyrum*, neque is proprius est, ut ait Duchesnius, libro Pontificali, sed abest et ab epitome eius Cononiana, quae totidem verbis hunc locum refert, et a codice, cui iure Duchesnius inter plenos palmam tribuit, Lucensi. Habent *custodem martyrum* codicum plenorum familia altera *B* et epitome Felicianae solae omnino eiciendum: est enim res nihili et merum commentum librarii cuiusdam saeculi septimi¹. Nec mirabimur eiusmodi interpolationes in volumine per monasteria omnia lectitatio reperiri a rerum ecclesiasticarum curioso aliquo translatae ex familia plenorum vulgari in epitomae codicem origine diversum scriptum saeculo octavo vel nono.

b. Epitome Cononiana, cuius extant codices duo:

K^a Parisinus 2123 saec. IX. recognovi.

K^b Veronensis 52 saec. IX.

Cononianam epitomen item recte Duchesnius statuit factam esse ad Pontificalis libri editionem priorem. Eam ab interpolatione immunem mansisse ibi, ubi ea Felicianam occupavit, modo vidimus et reperiemus similia infra, ubi spatia episcopatum examinamus. Neutram epitomen ab altera pendere evidenter apparet et ita ubi consentiunt, id quod passim evenit, invicem sese confirmant.

c. E¹ Vaticanus 3764 saec. XI. exeuntis. Usus sum ad vitae 1—56 recognitione Waitziana, quae praestat Duchesniana maxime in locis secunda scriptura mutatis.

1) Inter clericorum officia *custos martyrum* praeterea non reperitur; abest et ab epistula pseudohieronymiana *de septem ordinibus ecclesiae* (vol. 11 p. 113 Vall.) et a chronicis quae dicimus Malaliana (edendis inter chronica minora nostra vol. 3 p. 424) et ab Isidoro in originibus 7, 12, 3. In tractatu de officiis cum idem auctor 2, 9 inter diaconos et subdiaconos interponat *custodes sacrorum*, inde fortasse interpolatio originem duxit.